

Iupiter fortunatus, si in medio cœli aspicit partem regis in bono loco existentem, & receptam à domino domus suæ, & pars fortunæ similiter in bono loco aspecta à domino domus suæ, & non desit aspectus Solis, natus erit iudex sapiens ualde, uel prælatus magnus.

Iupiter in medio cœli existens, si ibi habuerit aliquam dignitatem non aspiciente Sole, aut aspiciente ex quadrato uel opposito, natus seipsum faciet dominum, & imperabit genti, ex parte religionis.

Dominus ascendentis si applicat planetæ existenti in exaltatione sua, natus adhærebit regibus. Si planetæ existenti in domo sua, erit laudatus & honoratus in sua domo, & terra. Idem iudicabis per applicationem Lunæ ad planetam existentem in exaltatione sua uel domo.

Luna separata à conjunctione alicuius planetæ, applicans planetæ existenti in exaltatione sua, uel in medio cœli pollicetur dignitatem.

Orientales à Sole mane apparentes, aut occidentales à Luna, regnum dant.

Iupiter & Venus in exaltationibus suis in decima domo, à parte fortunæ, aut ipsa pars in medio cœli ab ascendente, & dominus partis Iupiter uel Venus, & ipsi in aliqua dignitate sua in ascendente, promittunt regnum.

Quatuor fortunæ in angulis, regnum significant,

Sol in signo regali in medio cœli receptus à Luna in triplicitate eius, regnum nato promittit.

Quando omnes planetæ applicant Ioui, & Iupiter per conuenientiam dederit uim suam Saturno orientali fortunato recepto, natus regnum magnum habebit.

Dodecatemorion unius luminaris, cadens in domum alterius, dat bonum statum, & honores.

Dodecatemorion Saturni in domicilio Iouis, dat officium iudicis.

Dodecatemorion Solis uel Lunæ in decima domo, tantum operantur in cuiuscumque natali, quantum si ipsa ibidem essent luminaria.

Dominus decimæ, si domino primæ applicuerit, natus erit homo, cuius rex indigebit, ac si sit inter eos receptio, erit procurator regis, & rerum eius.

Dominus primæ, si applicuerit domino decimæ, natus ibi suo studio & labore ad seruitia regis.

Dominus mediij cœli si fuerit separatus à domino primæ, natus erit cum regibus infortunatus.

Dominus primæ si fuerit separatus à domino decimæ, natus adhærebit regibus, sed erit timidus, & propterea dimittet officium quod habuerit.

Dominus primæ in decima in aliqua suarum dignitatum, exaltatione, triplicitate, domo, uel termino, si Sol eum aspexerit ex bono & forti loco, & pars regni, & pars fortunæ ambe fuerint in bonis locis, & fortibus, natus habebit dignitatem & dominium in terra sua, & si tale signum fuerit fixum, nec infortunantes aspexerint, obtinebit illud dominium toto tempore uitæ suæ.

Pars regni uel decimæ domus, uel unus eorum si fuerit in prima domo, natus dominabitur prouinciæ, in qua natus fuerit in iuuentute. Et si hoc fuerit in medio cœli, erit in medio suæ ætatis. Si in septima uel quarta, in senectute.

Ambæ fortunæ fortes in bonis significationibus, & infortunæ nullius uirtutis, natus talis erit dum uixerit fortunatus.

Dominus ascendentis à Sole receptus, uel à domino mediij cœli, significat natum laudari & honorari à regibus, & ab eis obtinere dominium.

Generalis regula in adeptione domini, est ut aspicias ad signum domus decimæ, & ad eius dominum, & ad Solem in die, & in nocte ad Saturnum, & quis eorum sit potentior in figura, id est, qui fuerit dominator inter eos, Qui si fuerit in do